



HAymo in diuinis & humanis literis vir fuit doctissimus, atque Alcuini Caroli præceptoris quondam auditor. Itaque ex Fuldenensi monacho in Hirsfeldensi monasterio abbas factus est. Erat tamen monasteria viris eruditis referta, in quibus optimæ quæque literæ & meliores artes cum maioribus disciplinis tradebantur. Itaque iij, qui fœlicioribus ingenij erant prediti, sese tum in monasteria conferebant. Postea uero cum monachi otio essent dediti, Vniuersitates in eorum locum optimo instituto successerunt. Sic Haymo uirtutibus & doctrina insignis, postea in Halberstatensem Episcopum ordinatus est, in eorum numero tertius existens. nam Carolus magnus ante triginta circiter annos eum Episcopatum in Saxonia fundarat. Huic Ecclesiæ Haymo per annos tredecim prefuit, eamque uerbo & exemplo strenue gubernauit. Scripsit autem is plurimos in sacros libros commentarios, utpote in libros quinque Moysis, in Iudicum, Regum, & omnes Prophetas: præterea in Psalmos, Evangelia, & Pauli Epistolas, cum multis alijs de Trinitate, & moribus formandis opusculis utilissimis. Tandem ætate grauis anno octingentesimo tricesimoquarto, sub Ludouico Caroli filio moritur. In Ecclesia S. Stephani Halberstadiensi sepultus iacet. Trit. in script. Ecclesiast.